



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,
Soliloquia et Manuale**

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Oratio devotißima ad Christum, 18

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

nisi per me : obsecro & suppliciter rogo ,
 trahe me semper ad ipsum ; ut ipse me tan-
 dem perducatur ad te illuc , ubi ipse est in dex-
 tera tua sedens : Vbi est sempiterna vita ,
 sempiternae beata : Vbi est amor perfectus ,
 & timor nullus : Vbi est dies aeternus , &
 unus omnium spiritus : ubi summa & certa
 securitas , & secunda tranquillitas : & tran-
 quilla iucunditas , & iucunda foelicitas , &
 foelix aeternitas , & aeterna beatitudo , &
 beata tui sine fine visio & laudatio : Vbi tu
 cum illo , & ille tecum in communione
 sancti Spiritus , aeternaliter ac sempiternali-
 ter vivis & regnas Deus , per omnia saecula
 saeculorum. Amen.

CAPVT XVIII.

Oratio devotissima ad Christum.

1. **S**pes mea Christe Deus , hominum tu
 dulcis amator ,
 Lux , via , vita , salus , decor , & decus omne
 tuorum :

Omnia pro quorum voluisti ferre salute ,
 Cernito vincla , crucem , vulnus , mortem at-
 que sepulchrum.

Post tres inde dies devicta morte resurgens ,
 Discipulis visus , nutantia corda reformans ,
 Luce quaterdena caelorum summa petisti.
 Vivis in aeternum , nunc & per saecula re-
 gnans.

Tu es Deus meus vivus & verus , Pater
 meus sanctus , Dominus meus pius , rex meus
 magnus , pastor meus bonus , magister meus
 unus , adiutor meus optimus , dilectus meus
 pulcher-

pulcherrimus, panis meus vivus, sacerdos meus in aeternum, dux meus ad patriam, lux mea vera, dulcedo mea sancta, via mea recta, sapientia mea praeclara; simplicitas mea pura, concordia mea pacifica, custodia mea tuta; portio mea bona, salus mea sempiterna, misericordia mea magna, patientia mea robustissima, victima mea immaculata, redemptio mea sancta, spes mea firma, charitas mea perfecta; resurrectio mea vera, vita mea aeterna, exultatio & visio mea beatissima, & sine fine mansura: Te deprecor, supplico, & rogo, ut per te ambulem, ad te perveniam, in te requiescam: qui es via, veritas, & vita; sine qua, nemo venit ad Patrem. Te enim desidero, dulcissimum & pulcherrimum Dominum.

2. O splendor paternae gloriae, qui sedes super Cherubim, & intueris abyssos, lumen veridicum, lumen illuminans, lumen indeficiens, in quem desiderant Angeli prospicere. Ecce cor meum coram te est: discute tenebras ejus, ut amoris tui claritate plenius perfundatur. Da mihi Deus meus te, redde mihi te: en amo te, & si parum est, amem validius. Non possum metiri, ut sciam quantum desit mihi amoris tui ad id quod satis est; ut currat vita mea in amplexus tuos, nec avertatur, donec abscondatur in abscondito vultus tui. Hoc tamen scio, quia male mihi est praeter te Domine, non solum extra me, sed in me ipso. Omnis enim copia, quae Deus meus non est, egestas mihi est.

3. Bonum

3. Bonum namque, quod neque in melius neque in deterius commutari potes, tu solus es, qui simpliciter solus es, cui non est aliud vivere & aliud beate vivere, quia tua beatitudo tu es. Creatura vero tua, tui est aliud vivere, & aliud beate vivere, omne quod vivit, & beate vivit, non debet nisi gratiæ tuæ attribuere. Et ideo nos egemus tui, non tu nostri: quia si omnino non essemus, nihil tibi deesset ad bonum, quod tu es. Tibi itaque Domino Deo nostro semper adherere necesse habemus, ut per continuum auxilium tuum sancte, & pie, & recte vivere valeamus. Pondere siquidem fragilitatis nostræ deorsum trahimur: dono autem tuo accendimur, & sursum ferimur: inardescimus & imus, ascendimus, ascensiones in corde facimus: & cantamus canticum graduum: igne tuo bono inardescimus, & imus.

4. Quonam? sursum imus ad pacem Hierusalem: quoniam jucundatus sum in his quæ dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus. Illic collocavit nos voluntas bona, ut nihil velimus aliud, quam permanere illic in æternum. Sed quia dum sumus in corpore, peregrinamur à te Domine, non habemus hic civitatem manentem, sed futuram inquirimus: noster autem municipatus in cœlis est. Ideo duce gratia tua, ingredior in cubile cordis mei: & canto tibi amatoria, rex meus & Deus meus, gemens inenarrabiles gemitus, in loco peregrinationis meæ: ubi cantabiles mihi factæ sunt justificationes tuæ.

C 5

5. Et

5. Et recordans Hierusalem, extendo in eam sensum cordis: Hierusalem patriam meam, Hierusalem matrem meam, teque super eam regnatorem, illustratorem, patrem, tutorem, patronum, rectorem, pastorem, castas & fortes delicias, solidum gaudium, & omnia bona, ineffabilia simul omnia: quia unum summum & verum bonum. Et non avertar, donec in ejus pacem matris charissimæ, ubi sunt primitiæ spiritus mei, colligas totum, quod sum à dispersione & deformitate hac, & conformes atque confirmes in æternum, Deus meus, misericordia mea.

CAPUT XIX.

Hic distinguit inter sapientiam qua domus Dei est, & sapientiam qua divina est.

1. **H**Æc est domus tua Deus non terrena, neque ulla cœlesti mole corpora, sed spiritualis & particeps æternitatis, quia sine labe manet in æternum: statuisti enim eam in sæculum sæculi: præceptum posuisti, & non præteribit. Hæc tamen tibi Deo coæterna, quia non sine initio facta est. Prior quippe omnium creata est sapientia. Non utique illa sapientia Patri Deo plane coæterna & coæqualis, per quam creata sunt omnia, & in quo principio factum est cœlum & terra, sed profecto sapientia, quæ creata est spiritualis natura, scilicet, quæ contemplatione luminis lumen est. Dicitur enim & ipsa (quamvis creata) sapientia. Sed quantum distat inter lumen illuminans, & lumen